



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Sacramentum Ordinis**

**Biesmann, Caspar**

**Coloniæ Agrippinæ, 1694**

Josepho, Sponso Mariæ Virginis, Jesu Christi Nutritio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42240**



JOSEPHO, Sponso MARIÆ  
Virginis, JESU CHRISTI  
Nutritio.

**S**acramentum Ordinis, cujus  
finis & scopus est, Euchari-  
stiam rite administrare, nul-  
li rectius inscribere potui;  
quàm tibi Viro, ut loquitur Ruffi-  
nus, per omnia incomparabili, tibi  
inquam, ô beatissime JOSEPH, qui  
teste Bern. *Serm. 2.* super missus pa-  
nem vivum è cœlo (panem Eucha-  
risticum) servandum accepisti: fa-  
ctus Ecclesiæ Dei Oeconomus, cui  
panem vitæ & frumentum Electo-  
rum conservasti. Quis obsecro, quis  
dignè eloquatur, quâ reverentiâ, quâ  
pietate, quo amoris excessu sacra-  
tissimum pignus, tuæ fidei concre-  
ditum,



ditum, JESUM, Dei & MARIE Filium, brachiis suis exceperis, quàm dulcia ori ejus oscula fixeris, quàm sollicitâ curâ eundem nutriveris: verè fidelis Servus, & prudens, quem constituit Dominus suæ Matris solatium, suæ carnis Nutritium. O Quoties, ut loquar verbis S. Isolani p. 3. c. 1. Maximus JESUS in gremio JOSEPH quievit! Ejus collum facris suis tenens brachiis, pectori illius ac humeris hærebat. Quievit in JOSEPH corporaliter, &c. quievit fiducia, quievit lætitiâ, &c.

*Deque viri collo, ut canit Poëta Fa-*  
*stor. 2. dulce pependit onus.*

O si omnes Ecclesiæ Ministri pari tecum fervore, pietate & amore, cœleste hoc pignus, JESUM speciebus Eucharisticis occultatum prosequerentur, suis quotidie manibus devotè exciperent, reverenter tractarent,



Etarent, & optatam in cordis gre-  
 mio quietem indulgerent! Fuerunt  
 sane ô Vir sanctissime, tua erga  
 Christum devotissima obsequia,  
 eorum Ministeriorum, ad quæ mo-  
 dò Ecclesiæ Ministri per sacros Or-  
 dines deputantur, tacita præludia;  
 ut proinde non secus ac vernam &  
 liliis, rosis, aliisve floribus dives hor-  
 tus apes expectat: ita tu pietate,  
 amore, reverentia, cultu, devotio-  
 ne, in puerulum JESUM amorem  
 tuum, veluti amœnâ quadam sua-  
 veolentium florum varietate cu-  
 mulatè locuples, apes, hoc est, Ca-  
 stos Ecclesiæ Ministros præstolaris,  
 qui dulcissima debitæ pietatis, de-  
 votionis, & observantiæ, erga JE-  
 SUM Eucharisticum, mella ex te  
 colligant. Tuis igitur pedibus, ô  
 sanctissime JOSEPH, charissime  
 mihi semper Patrone, cujus amor à



(0)

à primis annis arctè hæsit pectori  
meo, exiguum hunc laborem, sum-  
mæ Excellentiæ tuæ minimè pa-  
rem, humillimè advolvo, ut te pro-  
pitio, te favente parvus hic labor,  
quem *magnum JOSEPHI nomen ob-*  
*umbrat*, magnum pariter amorem,  
reverentiam, & cultum erga JE-  
SUM Eucharisticum, omnibus Ec-  
clesiæ Ministris conciliet; donec  
tandem dulcem JESUM, non jam  
in Mysteriis, sed facie ad faciem  
unà tecum in beata coelitem æter-  
nitate visuri sumus, ita unicè vovet  
& optat

*Tuo Nomini devotissimus*

C. B. S. J.

PRÆ-